

1
6
228







XXVIII IX

Sam. SCHALLESII

Panegyricus &c.

Chr. a DRAXDORF




PANEGYRICUS
Memoriæ
VIRI GENEROSISSIMI
IO. CHRISTOPHORI A DRAXDORFF,
Inclytæ Argentoratensis Reip. Prætoris, & Academiæ Cancellarii,
publico nomine dictus
à
SAMUELE SCHALLESIO,
Eloquentiæ Professore Publico.





ARGENTORATI,
Sumptibus SIMONIS PAULLI, Bibliop.
M. DC. LXIII.



Illustrißimi Comites: Illustres inclytæ huius Reip. Proceres ac Scholarchæ: Nobilißime atq; Amplißime Consiliarie ac Syndice: Magnifice Rector: Spectabiles Decani: Excellentißimi Professores reliqui: Consultißimi atq; Experientißimi Doctores vrbici: Venerandi Ecclesiarum Antistites ac Ministri: Clarißimi Moderatores Gymnasii: Generis nobilitate, virtute, atq; eruditione florentißimi Studiosi.

QUantam, si adhuc viueret, genere, virtute, meritis, in Rempublicam, in Academiam, in humanum genus vniuersum illustris quondam, IO. CHRISTOPHORUS à DRAXDORFF, vultus præsentis, vel manifestis generosi tum sanguinis tum animi indiciis, vel blandis humanitatis grauissimæ fulguribus, lætitiam pariter & facundiam dicenti adspirare potuisset: tantum, heu! luctum nunc, ex luctu dicendi infirmita-

tem, ex infirmitate dicendi ſolicitudinem ac metum, optimi maximiq; viri laudes celebraturo mihi affert, quod debitæ pietatis hoc officium, non aliter quam abſenti; imò, quod multo eſt flebilius, non aliter quam defuncto præſtare atque exhibere poſſum. Quis enim non nouos flagrantis deſiderii impetus conciperet, ſi, cuius poſſeſſione maxime olim felix fuit, boni iam amiſſi recordatur? Cuius magnitudo, quantumuis etiam antea ſemper æſtimata fuerit; non tamen melius, ipſa abſentia pretium illi ſuum conciliante, quam carendo intelligitur. Enimuero non ipſe ſolum omnibus tam cari, tam venerandi mentione nominis iam in dolorem revocor: ſed etiam, ſi per frequentiſſimum hoc Auditorium oculos circumfero, idem Vobis etiam, Auditores ſplendidiſſimi, euenire deprehendo. Produnt hoc frontes veſtræ, male ad virilis conſtantiæ ſpeciem compoſitæ: produnt oculi, non ſatis bona fide ſicci: produntē

pro-

profundo pectore ducta suspiria: deniq; prodit altum à luctu prouentens, atq; expectatione suspensum silentium. Neq; enim, etsi temporis annui spatium, atq; aliquid amplius intercessit, vulnus tam alte adactum penitus coaluit; vt non, etiamsi leviter tangatur, facile ac statim recrudescat. Scilicet vt ignis male extinctus, minimo quoq; irritamento reuiuiscit, atq; in nouas erumpit flammas: ita luctus, quem omnibus tam acerbus incussit casus, quotiescunq; eius memoria offertur, nondum satis mora soporatus, facile novas vires colligit; adeoq; ipsum se non posse sui omnino obliuisci nouis subinde documentis experitur. Ac ego quidem mœrorem meum mœrore aliorum, non aliter quam ignem affuso oleo, vehementius accendi; & contra dicendi vires, quæ alioquin satis apud me sunt tenues, tanto magis extingui, non sine animi consternatione sentio. Neq; enim eloquentiæ cum tristitia bene conuenit;

nec diſerto eſſe vacat, cuius cogitatio-
nes ac verba dolor animi turbat ac
diſtringit. Unde in magna ſolicitudi-
ne, atq; adeo metu etiam verſor, quomo-
do & luctui, quem excutere non valeo, &
mandato illorum, quibus refragari nefas
eſt, poſſim ſatisfacere. Nam, ne ignoretis,
Auditores, neue audaciæ mihi imputetis
crimen, quod parentationis onus hoc
humeris longe imparibus ſuſceperim, au-
dire, quomodo res acta ſit, Vobis, quæſo,
lubeat. Nimirum DRAXDORFFIUS,
vel quod virtutis præmium conſcientia
metiretur, recteq; factorum fructum
præcipuum eſſe exiſtimaret, feciſſe: vel
quod externos honores, quippe qui non
raro etiam in immerentes conferuntur,
ceu fallaces ac dubios meritorum teſtes
parui penderet: moriturus in mandatis
reliquerat, ut præciſa omni pompa, quali
tantorum alias, quantus ipſe fuit, funera
virorum honorari ſolent, efferretur. Un-
de factum, vt multi, cum corporibus
non

non liceret, ſaltem animis, & bona, quæ bene Mortuus feciſſet, recordatione, atq; etiam commemoratione mutua, exequiarum ultimiq; officium honoris exoluere certarent. Et Academia quoq; noſtra quamuis intelligeret, nihil eſſe æquius, quam Præſidi illi ac Patrono ſuo, etiã defuncto, gratias agere publicas, & poſthuma aliqua ingentia eius venerari laudatione merita: attamen verens, ne forte ſic modeſtiæ atq; vltimæ eiusdem, vel etiam neceſſariorum voluntati minus faceret conuenienter; id, quod facere prompta ſemper ac parata fuerat, facere hactenus diſtulit, tacitis duntaxat laudibus ſanctiſſimam ſupremi quondam Capitis memoriam proſecuta. Nunc autem poſtquam annus vertens triſtiſſimi caſus omnes feciſſet recordari, ſuam illa pietatis declarandæ cupiditatem huc vsq; pectore concluſam, quod veluti liquor efferueſcens vlterius coerceri dedignaretur, in lucem ſtatuit emittere; & quicquid

ſit

ſit de cætero, ſe ab ingrati animi ſuſpicione apud poſteros liberare. Nam cum ſemper hactenus noſtra illa non minus morum bonorum, quam ſtudiorum magiſtra, alumnos ſuos per & præcepta & exempla grauiſſime docuiſſet, homines de republica aut ſchola quomodocunq; bene meritos non in vita tantum, ſed etiam poſt fata eſſe honorandos: quia & gratorum ſit, non lucenti tantum ſupplicare ſoli, ſed occaſi quoq; meminiſſe; & præterea hoc pacto etiam DEO ſuus tribuatur honor, ſi, quæ ipſe è cælo munera conceſſit orbi, debito cultu, etiam poſtquam rurſus ſunt erepta, afficiantur: & deniq; quia ad virtutis ſtudium viui non fortius excitari poſſint, quã ſi laudem memoriamq; bonorum non cum ipſis mori videant: quia hæc ita ſeſe habeant, pie prudenterq; ſubducta ratione Academia noſtra arbitrata eſt, turpe ſibi fore, ſi ſuam illam, cuius hactenus tam diligens ſemper cuſtos ac propagatrix fuiſſet, diſciplinam con-

consuetudinemq; iam ipsa, negligentia inexcusabili damnaret. Quam ob causam, etsi à se grati hæc opera animi non exigebatur, ipsa tamen sponte nuperrime decreuit, generosissimi, qui proxime fuisset, Præsidis sui beatis manibus maximisque virtutibus, solenni quadam oratione parentandum; & sic, qualemcunq; illustribus eius meritis ex animo pio mercedem esse dependendam. Atque hoc tam laudabile negotium, vt ego nomine publico, adeoq; suas in eo vices agerem, Amplissimum mihi Consilium Academicum iniunxit. Ego vero quanto id mihi honori ducam, ore stiloque meo, si modo digne possem, illum venerari virum, quem, quãdiu vixit, felicitatis ac honoris mei certissimum expertus sum & autorem & fautorem, hoc profecto verbis satis exprimere non possum. Non prius, quam viuere desiero, memoria mea excidet singularis maximi Patroni in me beneuolentia. quam non, vt fere genius hodie seculi

B con-

consueuit esse, in blanda fallacis vultus specie, aut inani magnificarum promissionum iactantia hæsisse; sed in intimis animi candidissimi visceribus fuisse fixam, ipsa res indubitatis mihi testimoniis firmauit. Certe, quantũ DRAXDORFFIO, ac cæteris, quos ille in illustri scholarum regimine Collegas habuit, ob maxima, quæ in me contulerunt, beneficia, obstrictus fuerim, etsi nuper etiam hic publice me dixisse memini; idem tamen rursus dicere minime me piget: nec, quotiescunq; occasio sese offeret, vnquam repetere imposterum pigebit. Nec propterea verebor, ne fortasse apud bonas mentes vitii istius, quod Rhetores ταυτολογίαν vocare consueuerunt, reus agar; dum quæ mihi bene facta sunt ab aliis, grata subinde memoria ac prædicatione recolo. Et si vel maxime verendum id haberem, mallem tamen subire notam oratoris inficeti, quam ingrati hominis. Sed quam honorificum; tam grauem, qui mihi nunc

impo-

impoſitus eſt, laborem eſſe ſentio. Et fortaſſe parum abeſt, quin & alii, cũ audiunt, quid facere ſim iuſſus, rem ita ſint interpretaturi: infanti aptatos eſſe Herculis cothurnos. Quorum iudicium tale non ſine ratione eſſe, agnoſcere cogor, ſi magnitudinem viri, quem laudandũ ſuſcepi, animo meo repræſento, & cum illa meam in dicendo cõparo infantiam. Tot enim ſunt ac tantæ res, quibus præſenti ſe DRAXDORFFIUS noſter ſeculo abunde commendauit, vt, quo ſuum illis apud poſteros etiam decus pretiumq; conſtet, Ciceronem aliquem requirant. Qui tamen & ipſe, ſi quid intelligo, nimio ſe obrui ſplendore; nec poſſe, quæcunque digna laude offeruntur, ſatis laudare omnia, neceſſe habeat fateri. Homini vero curtæ ſibi in eloquentia ſupellectilis conſcio, quid animi eſſe creditis, Auditores? Equidem videor mihi, dum virum, quem vt mors iam ſupra inuidiam, ita ſupra laudem ſua virtus poſuit, prædicare

inſtituo, ſimilis eſſe ei, qui nandi imperitus nando agitat Oceanum ſuperare. Scilicet arduum eſt, ſcribenda facere: ſed, iudice Salluſtio, non minus arduum eſt, facta ſcribere, eorumq; gloriam orationis magnificentia exæquare; ne quæ laudare aggrederis, impari ſtilo facias minora. Quod ſi, ipſo audiente, cuius decora iam ſunt exequenda, defungi mandato mihi officio liceret, magna profecto, qua me ſic vrgeri video, ſolicitudine leuarer. Neque enim dubitarem, quin viri modeſtiſſimi, &c, quo ipſe fuit prædituus, candorem in aliis quoq; æſtimantis genio facile litare poſſem. Dicerem ſimpliciter ſine anxia vllius pompæ aut apparatus cura, quæ pietatis mihi impetus dictaret: nec vererer, ne propterea audientis cõtraherem offenſam; quin crederem potius, orationi meæ apud illum ab ipſa ſimplicitate ſua gratiam conciliari. Nunc autem cum dicendum mihi ſit coram illuſtribus tot

ac

ac ſapientiſſimis hominibus, qui omnes orationem ab laudante materiæ ſuæ expectant reſpondentem, quorumque & oculis & animis, defuncti ceu adhuc vivi imago obuerſatur: periculum inde eſt, ne ſermonem meum, niſi ad expectationem ſit, apud eos ex propinquo recentis exempli comparatio flagellet. Sed quicquid ſit, dicendum eſt tamen, vt morem geram illis, qui me dicere iuſſerunt. Si minus apte humeris meis impoſitum onus ſedeat, id excuſandum relinquam illis, qui impoſuerunt. Interim ego faciam, quantum valeo: & licet nude, dummodo fideliter, præcipua ſaltem, atq; è plurimis excerpta de DRAXDORFFIO narrauero; optime hoc pacto me, ſi nõ laudaſſe virũ, at certe laude dignum oſtendiſſe arbitrabor. Vos modo, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, linguis animiſque fauete: ac de viro eo, quem & natalium ſplendor, & magnitudo animi, & pruden-

tiæ ſoliditas,& grauitas morũ, & laborum pro republica exantlatorum diuturnitas, & amplitudo meritorũ,paucis,quem vitæ & mortis generoſitas omnibus venerabilem atq; auguſtũ fecerat,mihi nunc verba facere cogitanti,lubentes,quæſo,ac beneuolas præbete aures ; & quod eloquentiæ meæ deeſt, fauore ac eruditione veſtra ſupplete.

Atq; ab initio quidem, ſi quæ multis, eadem mihi quoq; opinio ſederet,ac ſi nõ minus ad præcepta rhetorum ſequenda orator, quam aliquis Romanus olim ad leges Iulias aut Cornelias obſtrictus ſit: cuius ſuperſtitionis vanitatem cordati viri egregie derident pariter ac damnant; quippe qua franguntur ingenii libertas, & eloquentiæ ſpiritus: magna ſermonis pars iam conſumenda eſſet recenſendis iis,quæ ad DRAXDORFFII ortũ,patriam, parentes, auos ac maiores pertinent. Et ſane ſi ſolem ſatis per ſe lucentem facibus

non

non necessariis cogitaremus adiuuare, amplissimus nobis dicendi campus hic sese aperiret. Sed cum, qua Beatus Hieronymus vtitur similitudine, in fructibus ac ramis arguat defectum, si recurrendũ sit ad truncum ac radicem, vt horum fœcunditate sterilitas illorum cõpensetur: eam ob causam & mihi superuacaneum videtur, prolixe laudes Nostro ab auis etiam atq; atauis, & omni retro nobilitate arcessere velle: qui propriis ita decoribus effulget, vt alienis minime indigeat. Certe si Senecã, & in vniuersum Stoicos consulamus, quemadmodum de cæteris, quæ alii corporis ac fortunæ bona solent appellare, ita & de patriæ ac generis gloria tacere nos iubebunt. Omnia enim talia Philosophi isti, qui longe supra alios sibi sapere videntur, pro solita loquendi magnificentia, non censu solum, sed plane etiam nomine bonorum excludunt exuuntq; ; omnem felicitatem hominis ac laudem, in ipso ac virtute sola collocãtes:

ad

ad quam iſta nec cõferre quicquam, ſi adſint; nec ſi abſint, èandem impedire aut labefactare queant. Ariſtoteles autem, & qui eius Scholæ nomina dedere, in diuerſum hic abeunt: & quamuis negent, eiusmodi bonis extra hominis animum poſitis, cõſtitui virtutem; multũ tamen cũ adiuuari tum illuſtrari contendunt. Itaq; minime abhorreat à Lycæi placitis, ſi quis aſſerat, res externas virtutis eſſe vel tubos & canales, quibus propagetur; vel opportunitates, quibus ſtimuletur; vel inſtrumenta, quibus vtatur; vel ſubſidia, quibus alleuetur: aut ſi idem ſub alio ſchemate dicendũ ſit, eſſe quaſi obſtetrices, quibus edatur in lucem; nutrices, quibus educetur; adiutrices & commendatrices, quibus ad actionem & vigorem; ad gratiam & laudem; ad ſplendorem deniq; & gloriam prouehatur. Atq; hæc ſententia etiam cum diuinæ menti, quæ, quos decreuit magnos facere, eos huius generis ornare atq; inſtruere bonis cõſueuit; tum

com-

communi ſenſui, atq; adeo ipſi experientiæ quotidianæ maxime eſt conueniens. Nam, vt forte vnus è veruecum patria, (liceat mihi Iuuenalis verba mutuari) prodierit, qui magnũ dederit exemplum: non tamen ſæpius id eueniſſe cernimus. Vnus, quem ſcimus, eſt Democritus, Abderæ natus, cui innatum ciuibus reliquis ſtuporem natura melior deterſerat. Atq; hic in Protagoram deinde, cui obtigerat præceptor, ſapientiam ſuam deriuauit. Absq; quo fuiſſet, gentilis Abderitarũ vecordia cum cæteris & Protagoram in æternam infamiam aut obliuionem abiecisſet. Sed nec facile vel deformis Therſites, pulchro corpore Agamemnonem; vel perditi animi Catilina pium in patriã Ciceronem; vel ignauus Sardanapalus Alexandrum aut Hectorem aliquem procreabit: vel ſi maxime id fiat, albi corui, aut prodigii inſtar erit. Nimirum amant creari ſimiles ſimilibus; &, vt poëta loquitur, æquilæ aquilis, fortes fortibus.

Quare mediam ego tenebo viam; & nec nihil dicam de genere ac patria nostri DRAXDORFFII, nec dicam omnia, quæ dici possent: sed, vt ex vnguibus leo æstimari possit, pauca seligam explurimis. Annus igitur Christianorum supra millesimum & quingentesimum erat nonagesimus & quartus, quo carum illud à cœlo pignus rebus humanis commodatum, cum primũ lucem aspexisset, & parentes generosos in gaudia, & in omina futuræ magnitudinis Alsatiam erexit. quo ipso & Galliæ nouum sidus illucescens, Henricus Magnus dignum suæ virtutis præmium, cum Lutetia Parisiorum, aliisq; vrbibus quam plurimis, imperii insignia Carnuti, ritu solenni recepit. Sed eiusdem anni faustitatem præterea commendarunt & nobilis aduersus Hispanos in Belgio Mauritii Nassouii victoria; & arx Nouogradi in Hungaria è Turcarũ manibus virtute Christianorũ erepta. Æquum enim erat, natale illius tempus tot rerũ prosperarum

euen-

euentibus insigniri, cuius ortus occultum in tam multos sese diffusuræ felicitatis auspicium continebat. Sic Alexandrum quoq;, illud Martis fulmen, ac domitorem orbis, suam aliquando suæque gentis gloriam rebus gestis illustraturum esse, tot læti vndique, eo ipso tempore, quo natus erat, ad patrem eius Philippum confluentes nuncii portenderunt. Sed cum destinatus esset Argentoratensis Reip. decori ac vsibus DRAXDORFFIUS, ecce, & hic fortuna prouidit, vt in pago veluti suburbano nobis primum Alsatiæ aërem; & cum temperie eius, temperiem simul animi; deniq; illum aduersus Argentoratum, quem nunquã postea deposuit, amorem & affectum benignissimũ hauriret. Non enim amplius, quam vnum milliare ab Argentorato distat Wantzenauia: in cuius arce in hanc lucem fuit editus ille Noster, nequaquam degener stirpis generosæ surculus. Neq; enim primus in familiam suam nobilitatis decus intulit, sed in uete-

ratum multorum ſeculorum decurſu à maioribus acceptum indole æquauit, virtute auxit, gloria abſoluit. Quare vere ſuum approbauit genus. Nam quod DRAXDORFFII, ſplendore imaginum ſuarum, quas in longa retro tempora numerare poſſunt, non ſegne otium velare; ſed pro ſe quisque ſuæ gentis honorem factis egregiis extendere, in more poſitũ habuerint: id pro me Annales populorum loquantur. In his, omnibus tam pulchro ſpectaculo fauentibus, Iodocus DRAXDORFFIUS, ſub duce Chriſtophoro Wilhelmo, Haſſiæ Principe, cũ hic ſub finem ſeculi decimi quinti, mille equites Imperatori Romanorũ, Friderico Tertio, in Hungariam auxilio adduxiſſet, cum aliquot aliis, & ipſis nobilitatis ac virtutis ſpectatæ iuuenibus, eiusdemque gloriæ æmulis, profligata, quæ vrbi ſuccurſura venerat, hoſtili manu, primus in Albæ Regalis muros euadit, pugnat, vincit, eamque priſtino iuri ſuo ac domino

re-

restituit. Vitus vero DRAXDORFFIUS, acerrimi Vir animi, auspicio Georgii, post Alberti patris obitũ, Saxonum ducis, cum duobus in Frisia occidentali collegis, Ezardo Frisiæ orientalis, & Hugone Leisnici Comitibus, qui simul cum ipso copiis præerant, Groningam caput regionis, obsidione operibusq; cingit, cõmeatibus intercludit, & fame tandem ad deditionis consilia adigit. Itaque non satis fuit DRAXDORFFIIS genere esse nobilibus, nisi operibus etiam ipsi sese nobiles ostenderent. Parui enim æstimabant, maiores in gloriam vixisse suam; nisi & ipsi vicissim in gloriam illorum viuerent, & honorem ab illis acceptum pari honore reddito pensarent. Vnde non mirum est, quod facilis semper aditus ad Principum amicitias viris tam fortibus patuerit: à quibus ad splendida aulæ ministeria, aut munera alia euecti, fide atque industria omnium amorem gratiamq; meruerunt. Cuius rei exempla enumerare iam non

attinet: ne tempus rebus maioribus debitum occupemus. Atq; ex illuſtri hoc ſtemmate, quod aliorum quoq; nobiliſſimorum fulgore ſtemmatũ exſplendeſcit, quibus per matrimonia atq; affinitates eſt innexũ, ortum Noſter ſuum,& cum hoc nobilitatis virtutisq́; hæreditarium decus habuit: natus Patre IOANNE CHRISTOPHORO DRAXDORFFIO, Matre VRSULA IOHMIA: è quorum parentum ſuorum generoſo ſanguine ille ſua ſtirpe digniſſimus animus ſuccreuit. Multum debuerit Genitori huius Argentoratenſis è domo Brandeburgica Epiſcopus, cuius præfectus fuit in Wantzenauia: multum debuerit eidem Dux eo tempore Würtembergicus, cuius poſtea ſupremus in Oberkirchenſi dynaſtia adminiſtrator fuit: multũ, inquam, Sereniſſimi hi Principes debuerint Parenti Prætoris quondã noſtri: tantum tamen non debuerunt, quantum debet Argentoratũ: cui filium illum ſuum genuit atque educauit. In

hoc

hoc enim adhuc puero, cum indiciis manifeſtis indoles excelſa, & ingenium acre ſeſe proderent, illos virtutis igniculos bona diſcipulina tum ſuſcitandos, tũ etiam perficiendos eſſe, prudenter de ſalute ſibi tam cari pignoris ſollicitus pater ſtatuit. Itaq; vt in pietate erga DEum ante omnia, ac deinde etiã in bonis litteris moribusq; erudiretur, Argentoratenſi Gymnaſio concreditus eſt. Vbi per omnes claſſes ſtudia traducens, ita ſuam Præceptoribus diligentiam ac probitatem adprobauit: ita clare inter condiſcipulos generoſos, laudis eiusdem cum Nepotis Attico particeps exſplenduit; vt iam tum ſpei, in quam genitus erat, robur ac fulcrum ſupponere cerneretur: hoc eſt, vt iam tum omnes non ſperare ſolum, ſed etiam confidere poſſent, eum aliquando futurum eſſe talem, qualem deinde euaſiſſe maximo cum gaudio viderunt. Conueniebat quippe, vt, qui ad reip. clauum aliquando ſeſſurus erat, pectus ante artibus ad for-

tunæ

tunæ illius cultum pertinentibus præpararet ac muniret. Mitigat naturæ ferociam doctrina, docetq; impetus modum transgredi gestientes habere in potestate: à quibus, qui nunquam litauit Musis, nec prudentia cupiditates suas didicit circũscribere, facile in transuersum abripitur. Quam ob causam nõ statim, vbi Gymnasio exemptus erat, telam studiorũ abrupit: sed Academicorum Professorum ductu, quos præter maiores suos etiam doctores habere volebat, vastissimum scientiæ Oceanum visere, inq; altum eius prouehi gestiit: sed tamen, quod esse difficillimum prudentissimus historicorum arbitratur, cum Agricola ex sapientia modũ tenens, flagrantem animum coercuit: reputans, nõ scholæ, sed vitæ ac reipublicæ discendum sibi esse. Igitur ex omnibus scientiis, vt fortunæ ac proposito suo maxime conuenientes, elegit doctrinam ciuilem ac historiam: quarum illa futurum ciuitatis Rectorem præceptis, hæc exemplis instruit;

ſtruit; illa format, hæc perficit, ac abſol-
uit. Cupido autem, quæ celſarum natura-
rum propria ſolet eſſe, nobiliſſimum
animum ſtimulabat, regiones etiam alio
ab ſole calentes viſendi. Apud Curtium,
autorem æternitatis ſuæ, quam ardet A-
lexander omnes orbis terrarum, quem
imperio ſuo deſtinarat, luſtrare partes; eas
inprimis, in quibus res vetuſtate aut alia
ratione memorabiles reperiri cognoue-
rat? Certe vix temperat ſibi Pellæus ille
Iuuenis, quin etiam maxima belli mole
ceruicibus incumbente, non in Ægypti
modo à ſe deuictæ interiora; ſed in Æthi-
opiam plane Memnonis Tithoniq; regia
inclytam progrediatur: quanquã melior
deinde ratio hanc tum intempeſtiuam
eius cupidinem flexit ac repreſſit. Ab eo
tamen propoſito, quo Oceani ingenium
ipſe experiri ſtatuerat, nullis periculis ſe
deterreri ſiuit, quadraginta in altũ ſtadia
progreſſus: nec niſi voti ſui cõpos ad ea,
quæ reſtabant, peragenda rediit. Eâdem

D ſubli-

ſublimis ingenii nota, Tacitus prodit Germanicũ veteres locos & fama celebratos noſcendi fuiſſe cupidiſſimum. Sic & DRAXDORFFIUS noſter, vt mentem eruditione, animũ prudentia, mores elegantia, totũ ſe illis artibus, quæ futura eius magnitudo videbatur poſtulare, magis expoliret ac perficeret; Galliam, Angliam, Italiam, quin & Siciliam, igniuomo Ætna ſuo nobilem, aliasque regiones perluſtrauit; non, quæ plurimorum hodie conſuetudo eſt, otioſus ſolum vrbium atq; ædificiorum ſpectator; ſed ingeniorum potius ac morum, quibus inter ſe differunt populi; maxime vero, quibus reſpublicæ gubernantur, formarum modorumque obſeruator diligentiſſimus, explorator ſagaciſſimus, arbiter ſubtiliſſimus. Neq; enim in eo aliquod ponebat pretium, quod vidiſſet; niſi quæ viderat, pulchra imitari, vitare turpia, motus exemplorum efficacia ſtuderet. Plurima autem profundo in pectore, tanquã in tuto aduerſus

fortu-

fortunam thesauro, reposuit: quæ deinde admotus reip. maxima huius cũ vtilitate, & admiratione sui, depromere, atque ad præsentes vsus earum rerum, quæ in manibus erant, sciuerat transferre: plane dissimilis eorum, qui peregrinationes suas ad nihil aliud, quam ad inanes nugas, quibus aures audientium obtundunt; & non raro ad mendacia etiam, quibus apud rudes ac ignaros, heu quam miseram gloriam! aucupantur, referre didicerunt. Sed præter solidam istam ac præcipuam susceptì itineris mercedem hoc etiam, ceu additamentum aliquod haud sane contemnendum, domum secum reportauit, vt peregrinarum imbutus notitia linguarum, nec ipse barbarus aliarum nationũ hominibus videretur, & sine interprete adhibito, cum iis agere quæ volebat, & commode quæuis tractare negotia calleret. Inprimis tamen Italicus sermo, inter delicatam nimis Gallici mollitiem, & affectatum fastum Hispanici, medium

tenens, atque ad decentem grauitatem exactus, amorem eius studiũq; solicitauit ac pellexit: quo eum prompte ac scite admodũ vtentem sunt qui non sine stupore sæpius se dicunt audiuisse. Enimuero non animum, non linguam solum; sed corpus quoq; vel officiis bellicis, vel gratiæ ex decente statu flexuq; consequendæ reddere habile ac versatile, inter reliquas peregrinationis curas habuit. Hinc vidisses illum quam scitissime lanceam militarem quatere, & extrema sui parte prehensam, ab humo, sed facili, atque oculos fallente nisu alleuare; alleuatam in altum iacere; iactam, manu non errante iterum excipere; interdũ & per volam, inoffenso celeriq; lapsu transmissam, & iam iam elapsuram tempestiue cõpressa manu inhibere, ac tenere. Vidisses, equum à dextra sinistraue parte insilire: & vel in saltum excitare, vel flectere in gyrum ac rotare, vel admittere subditis calcaribus, admissumq; subito retinere; vel deniq; sclopo

pro-

propius explosо ad belli vſum aſſueface-
re: ante omnia vero eius indolem ac no-
tas, animo, oculis, interdum & admota
manu arbitrari. His ac ſimilibus exercitiis
aliis iuuenem nobiliſſimum vidiſſes de-
lectari. quibus tamen, vtpote ſapiens tem-
porum diſpenſator, non niſi eas tribuebat
horas, quas ab ſeriis occupationibus libe-
ras ei quies labore alternata concedebat.
Nam ne ſucciſiuum quidem iſtud otium
vel comeſſationibus, vel aleæ, multo mi-
nus voluptatibus aliis, ad quas irritandas
illiciendasq; nihil quam regiones, in qui-
bus tum verſabatur, eſt inſtructius, domi-
nus ſuarum cupiditatũ, perdere ſuſtinuit.
Aduerſus Vlyſſem, variis illum caſibus ac
periculis iactatũ Græcum, Poëtæ fingunt,
quia Mineruam itineris ſui comitem ac
moderatricem haberet, nihil nec vaſtum
Polyphemi robur, nec Scyllæ Charybdisq;
gemitus horribiles, nec blandos Sirenum
cantus, nec mutandis formis præparata
pocula Circes, nec deniq; ferrea inferorũ

 iura

iura quicquam valuiſſe. Per omnia iſta monſtra, pericula, inſidias, Deæ ſuæ axilio incolumis ac victor Ithacenſis ille in patriam reuerſus eſt. Quod Vlyſſi Minerua, id Pietas ac Prudentia multo verius DRAXDORFFIO fuerunt: qui itidem triumphatis populorum ac ſeculi vitiis redux, ingenti & ſuos gaudio, & omnes ſpe impleuit: eos vero, qui peregrinando non meliores, ſed deteriores facti, huius ſtultitiæ ſuæ meritas luebant pænas, dedit in ruborem, & ſeriam, ſed quæ ſera eſſet, male actæ vitæ pœnitentiam. Et cum tales hi experirentur, ſe & animis & corporibus corruptos ac fædatos, quales tamen vt eſſent, toto fere illis patrimonio ſuo conſtitit: ipſe nullius ſibi peregre admiſſi conſcius flagitii, & mentem puram Deo, & pudorem illibatum attulit in matrimonium. Et remuneratus eſt Deus, lege tam ſeuera cuſtoditæ decus caſtitatis, fauſtiſſimis, quæ in cælo deſtinauerat ipſe ſanxeratq;, coniugiis tribus. quorum quodnam

cæte-

cæteris, vt magis optabile præferret, ipse, dum viueret, felicissimus maritus apud se non poterat statuere. Postquam enim primam thori fortunæq; sociam è nobilissima Voltziorum familia oriundam, ingens suæ domus, quā antea virtutibus illustrauerat, ornamentum, inuidia mortis ipsi ademisset; eam altera, & ipsa genere dotibusq; nobilissima, Zornia; hanc deinde etiam ereptam, ea, quæ superstes adhuc memoriam optimi coniugis luget, nobilium fœminarum illustre decus & absolutissimum exemplar, patris generosi, Geispolshemii Lauterensis generosa filia; adeoq; vna simul vxores duas bis iam viduo egregie, atq; ex asse restituit: postumum virtutis a marito, ac proinde morte confirmatum testimonium consecuta: cuius bonorum partem haud sane contemnendam testamento sibi legatam, quā tamen, si liceret, virum redimere mallet, hoc suæ fidei obsequiiq; præmio dignissima Matrona possidet. Plurima, si cui ædes

no-

nostri iam Cælitis contigerat intrare, familiæ bene institutæ & cõpositæ indicia occurrere solebant: nullũ autem inter omnia iucundius quam hoc, quo intelligebatur, sedem ibi suam habere concordiam cõiugalem. Hac maritus curas reip.; hac vxor curas familiæ solabatur. Cæterum, vt consueuit Deus immortalis felicitatem hominũ sibi carissimorum aliqua etiam calamitate adspergere; ita hic, quod in coniugiis gaudium potuisset consummare, vel omnino dare negauit, vel datum nimis celeriter repetiit. Sobolem intelligo, Auditores. nam licet filiis duobus ex coniuge secunda, itemq; vna filia susceptis, dulcissimum patris nomen induisset; hæc tamen ei lætitia vel nulla, vel minus certe diuturna fuit: quia filii in lucem editi, lucem in ipso statim partu defuncti nunquam viderant: filiolam autem tenellulam, postquam nõ amplius quam sex vixisset menses, turbato ordine naturæ, tristissimus pater funere acerbo

extu-

extulit. Deſtitutus liberis, pro liberis, quos debuerat, curas, labores, opera ſuſcepta pro rep. ac proſpere effecta Argentorato ſuo imputauit: Thebano Epaminondæ ſimilis. qui & ipſe, cuidam ſibi orbitatem exprobranti, cum ſobolem corporis nequiret, ſobolem virtutis longe nobiliorem, pugnam nempe Leuctricam, magna cum fiducia oſtendit: qua & patriæ & ſibi æternitatem peperiſſet. Vt enim Epaminondæ, Thebæ; ita Argentoratum DRAXDORFFIO theatrum datum erat, ſatis profecto amplum, ſatisq; opportunum, in quo illuſtribus virtutem ſuam exhiberet documentis. Qua in re gratulari conuenit cum DRAXDORFFIO, tum patriæ noſtræ: illi, quod inter Argentoratenſis rei Atlantes iam etiam numeratur; huic, quod conſilio ac præſidio tam prudentis viri fortunam ſuam tam diu ſuſtentauit. Quæ profecto peccat, niſi cœleſtem pro ſe curã in hoc etiam agnoſcat, quod nunquam ſibi optimi Rectores

defuerunt. Aucta igitur tam nobili ciue Argentoratum, ſtatim ei in Minorem, quem vocant, Senatum cooptato dedit, quod ageret. Gradu enim, non ſaltu ad ſumma dignitatum faſtigia, ex inſtituto ac diſciplina huius vrbis, eſt progreſſus. quod quemadmodum in bello plurimi ſolet æſtimari; ita etiam in ciuitate cum ad gloriam, tum experientiam atque in tractandis negotiis dexteritatem colligendam, vſum habet maximum. Itaque proximus quisq; honor ei ſequentis fuit rudimentum; vt, creſcente cum ipſis dignitatibus prudentia, præparatior ſubinde aptiorq; ab inferiore munere ad ſuperius tranſiret: donec eo tandem euaſit, vnde altius aſcendere non poſſet. Hinc venit ei, quod cum Cicerone ad dandum conſilium caput eſſe arbitramur, tam accurata, tam prompta ſuæ reip. notitia: qua omnium in ea iudiciorũ conſuetudines, ac leges; collegiorum functiones ac negotia; magiſtratuum officia ac munia;

ma-

maieſtatem Senatus, & maieſtatis partes ac momenta; denique vniuerſæ ciuitatis iura, priuilegia, conſtitutiones, mores, genium, atq; adeo omnes, quibus publica eius vel commoda, vel damna innexa cõtinentur, rationes, non aliter quam diligens pater familias, ſuæ domus, ad vſus præſentiſſimos cognitas perſpectasq;, & veluti in numerato habebat. Nullus enim muneris, quod quidem ſplendori natalium eius competebat, nullus inſpectionis, nullus curationis, præfecturæ nullus, nullus cuiuscunq; dignitatis titulus cum honore hac in vrbe nominatur; per quem ille non ad illius gloriæ ſummam, in qua tandem collectis vndique laudibus fulgentem atque eminentem cum veneratione videramus, auſpicio læto, ſucceſſu proſpero, euentu optato profecerit. Senator fuit, ſed ſanctus, & iuſtitiæ obſeruans: Vigintiunumuir fuit, ſed cõmunium negotiorum intelligens: Quindecimuir fuit, ſed reditus atque

 ex-

expensas publicas æque ac priuatas administrandi peritus: Tredecimuir fuit, sed qui Reip. statū, arcana, vtilitates, & præter pacis, etiam belli artes & consilia, animo cōprehensa, iudicio subacta, prouisu disposita; sermone etiam, quotiescunq; res postulabat, in mediū proferre, ac temporibus casibusq; solerter aptare didicisset. Sed & Senatui maiori, in quem iam ante quater sine titulo Prætoris adscitus aut repetitus fuerat, nouem deinde vicibus Prætor; Academiæ autem, aliquanto amplius, quam viginti ac septem annos, Curator; vtrobique maxima cum grauitate præsedit. Quorum ille edictis suis tanti nominis splendorem; hæc tantæ autoritatis auspicium actibus suis & præscribi & impertiri, summopere lætabantur, atq; in præcipua suæ felicitatis parte numerabant. Nam ab vlteriore minores etiam ac secundarias, quæ maiorū quasi quædam sunt appendices, siue inspectiones, siue præfecturas enumerādi opera me liberat

cum

cum instituti mei ratio, qui minutissima persequi nec volo, nec possum, ne in maiorem oratio modum excrescat; tum Rectorii Programmatis diligentia, in quo accurate ista talia leguntur consignata; tum vero maxime, quod superuacaneum esse videtur, laudis argumentum etiam a leuioribus petere, cum gloria rerũ longe maiorum illam vel contineat vel absorbeat. In vniuersum dixisse sufficiat, DRAXDORFFIUM muneribus istis omnibus functum esse, solerter, diligenter, feliciter; &, quo tota laudis summa cõprehenditur, bene. Ex qua variarum functionem multitudine, quæ amplitudo meritorũ fuerit, facile, vt opinor, intelligitis, Auditores. Sed eandem temporis etiam longitudo extendit pariter & singulari nota facit memorabilem. Ex eo enim tempore, quo primũ rempublicam capessere cœpit, continue per amplius quam annos quadraginta eius tractationi vel negotiis inuigilauit: exemplo sane

rariſſimo; ſed cuius admirationem auget indefeſſæ conſtantia induſtriæ; quæ adeo non mora frangi vnquam ſe paſſa eſt, vt ab hac ipſa nouos ſubinde ſpiritus concipere videretur. ne in otio quidem otioſa, ſed, quæ in publico ſciret agenda eſſe, domi prius meditari, & perpendere ſolita; ne incocta deinde expromere deprehenderetur. Vt enim cautus eſſet ac lentus in deliberando, non præceps ac temerarius, profunda eius prudentia faciebat. Scilicet varios, qui hinc vel inde emergere poſſe viderentur, caſus euentusq; ſecum reputans, cunctari, quam ruere malebat. Qua circumſpectione plus quam audacia confici; & hominem fieri optimum, vere ſapientes ſtatuunt. Sed nec ſuæ opinionis peruicax erat, vt vel ex ſuo ore cæteros omnes vellet ſapere; vel omni, quod non ipſe attuliſſet, conſilio aduerſaretur; vel id, quod ipſe reperiſſet, ſolum, aut ſaltem optimum duceret. Intelligebat quippe vir ſapientiſſimus, ne ſapientiſſimis

qui-

quidem ſemper in mentem venire, quod opus ſit: quos propterea recte facere, ſi alterius interdũ melius inuentis obtemperent: in quo ſecunda prudentiæ laus conſiſtit. Minime tamen ſe, vt neruis alienis mobile lignum, duci agiq; paſſus eſt. Nam, vt ſuperbi eſſe, cum Æmilio Liuii exiſtimabat, de ſua vnius ſententia omnia gerere velle: ita exiſtimabat eſſe incõſtãtis, ab aliena libidine fluctuantem pendere. Et, quod caput rei eſt, nõ priuata, veri cõſilii venenũ iſtud; ſed publica vtilitas, veluti ſuprema lex, in omnibus eius conſultationibus ac ſententiis principem habebat locum. Scilicet Argentoratum ei ſuum, quam ipſe ſibi, carius fuit. Pro hoc vigilare, laborare, omnia agere; deniq; curis immori voluit, ſuæ ciuitatis amantiſſimus pater: contempſitq; honores atque opes maximas alibi oſtenſas, præ ciuili dignitatis cultu habituq;; ne ſe nobis magno cum noſtro & damno & mærore ſubtrahere cogeretur. Quod firmum

eius

eius propositũ non infregit aut turbauit beneficium atq; honor amplissimus, quo spectatæ, quam in eo animaduerterat, virtutis excitata lumine, veneranda Stephanici Cœnobii Antistes eũ auxit ornauitq;: dum Aduocatum ac vicarium sibi supremumq;, qui Wangenhemii ius diceret, Iudicem adsciuit ac cõstituit. Hoc, inquam, quippe quod & ipsum ratione quadam ad rem Argentoratensem pertinet, nihil impediuit, quo minus in solita pro bono publico cura, in solito erga ciuitatem suam amore industrius optimusq; ciuis perseueraret. Qua pietate in patriã, ad parem erga se pietatem obligauit vniuersos: quippe quem præter istud & Principem Senatus non dignitate solum, sed tandem etiam tempore gestæ reip. esse cernerent: imo quem cernerent, longissimo & vitæ & rerum vsu Vrbis esse Nestorem: ad cuius prudentiam absoluendam concurrerant, & ingenii bonitas, & temporis diuturnitas, & varietas negotiorum.

Vnde

Vnde factum, vt multi, cum in ciuili actu res perplexa aut non quotidiana occurreret, ad eum adire; ex eo, quid faciendum esset, quærere; & sibi de eo, quod audiuissent, solerent gratulari. Erat enim quidam quasi cõmunis cum iuris, tum vtilitatis publicæ consultus: quem ab experientia promtius consilium impetrare videres, quam ab omni eruditione sua illos, qui, quia sola librorũ lectione confidunt, interdum leones vulpibus, aut aquilas noctuis iungi posse vana persuasione opinantur. Non autem ciuilem viri peritiam vel cancelli curiæ, vel vrbis mœnia coercebant: quin illa per orbem vniuersum se diffundens, & consilia & negotia pacis bellique, & iura, quæ inter populos vniuersos intercederent; in primis autem ea, quibus Imperii Romani membra essent connexa & sibi mutuo deuincta, cõplectebatur, ac diligenti quasi custodia in temporum vsus asseruabat. Sed nec aulicæ, vt ita loquar, philosophiæ

expertem illũ dimiserat olim Io. Georgii Brandeburgici, Episcopi tum Argentoratensis aula: in qua aliquandiu versatus didicerat omnia, quibus Princeps colendus demerendusq; esset, officiorum obsequiorũq; genera; omnes, quibus elegantiarũ arbitris placere posset, comitatis dispensationes ac modos; omnes, quibus ad negotiorum expeditionem votumq; veniri posset, insinuationis artes & cuniculos: ita vt, si vel fors vel voluntas eius ipsi vitam in aula viuendam imposuisset, aulici personam, quippe qui totũ aulæ genium cognitum haberet, egregie decenterque agere ac sustinere potuisset. Sed cum dico hoc, nequaquam intelligo dolos, quorum in aulis regnum est. a quibus vt magis quam a cane aut serpente Noster abhorrueit, multis adfirmare verbis minime est opus. Nemini simplex illud hominis non natione magis quam candore Germani pectus, secunda vbiq; de eo fama ignotum esse siuit: & si

non

non ſama, ingenua tibi facies, atq; index animi ſermo oſtendiſſet. neq; enim vultu aliud præ ſe ferebat, aliud premebat pectore: neq; ſermo eius ab animo diſſentiebat. Antiqui moris fideiq; tenax, quaſi rediuiuus Cato, iſtam non in veſtibus ſolum ad vanitatem, ſed etiam in verbis ad decipiendos homines compoſitam luxuriam ſerio ſemper damnauerat. Et quemadmodum in familiari, ita vel maxime in eo ſermone (de hoc enim vt iam loquar, occaſio me inuitat) quo de reip. negotiis ſententia dicenda erat, nec modum nec dignitatem excedebat; nec adeo quicquam dicebat fruſtra: eloquentia inſtructus, non qualem in ſcholis ſuis rhetores ab apparatu ac pompa; ſed qualem in medio rerum vſu & conſuetudine negotiorum natam educatamq; a neruoſitate homines ciuiles æſtimant. In ſumma; ſatis eloquentiæ habebat, cum Lentulo, ad remp quod opus; & cum Lælio, quod eſſet in rebus priuatis, amicis eius; in

rep. ipsius dignitati satis. quod de duobus Romanis illis, clarissimis olim viris, Ciceronis, in quo vno omnia eloquentiæ genera cõcurrerant, legitur in monumentis eius iudicium. Ceterum humanitas & mansuetudo animi, quibus virtutibus pellexerat alios in amorem sui, & nõ raro duritiem contumacissimorũ hominum expugnarat; non in moribus tantum & gestu, verum in oratione quoq; ac voce, sed sine mollitie, blandiebantur. Humanus erat, sed sine auctoritatis detrimento: quam vbi res videbatur postulare, etiam expromere sciebat; cum alias in subsidio potius, quam ostentatione habere consueuisset: grauis erat, sed sine suspicione arrogantiæ: cui modestia insita omnem præcludebat locum. nec terrebat, vt reuerentiam; nec adulabatur, vt amorem captaret: facilis adeuntibus, affabilis alloquentibus. Conciliauerat enim inter se virtutes specie dispares.

Cu-

Cuius rei hoc tulit pretiũ, vt viſu audituq;
amabilis iuxta ac venerabilis, & inuidiæ
& vilitatis effugerit periculũ. Affectuum
vero ſuorũ dominus, iram nec facile con-
cipere; & ſi concepiſſet, ſtatim dimittere;
non autem in futuras vltionis occaſiones
abſtruſo in pectore ſeponere. Offenſas
obliuiſcendo condonare potius, quam
interpretando accendere. Et ſi quando
ſcelerum atrocitas, & vtilitas publica, ad
quam pœnas referendas eſſe norat, ſeue-
ritatem prouocarent, nec ingenio illum
ſuo malitia parentium vti pateretur; non
gaudere ſanguine, nec ſuppliciis frui: ad
quæ decernenda non niſi inuitus, & ma-
gno cum tormento veniebat; nec ea niſi
magnis peccatis commodare. Nam de-
licta minora ſatius eſſe credebat venia,
interdum & verbis emendare, pœnitentia
vel deprecatione contentus: vt qui ſem-
per in conſilio clementiam, quam legum
aſperitatem habere mallet. Quo tran-
quillo ac moderato poteſtatis vſu, & time-

 bant

bant eum,& pro eo ciues sui: gaudentesq; imperio non minus placido, quam iusto, conciliatum magis quam imperatum obsequium præstabant. Quod pro boni regiminis,& laudis inde enascentis supremo, ad quem rector populi eniti potest, quasi apice debet æstimari. Ne tamen existimetis, Auditores, quam laudaui lenitatem, iustitiæ fortasse fraudi fuisse. Nefas sit hoc de viro tam sancto cogitare. Non tollebatur ius clementia; sed temperabatur: nihil hic ambitioni, nihil odio, nihil amori, nihil dabatur muneribus: aduersus quæ inuictum eum & perpetuum honestatis studium, & religio legum præstitere: nam ne ipse quidem quicquam sibi contra has permisit; ne custos idem & contemptor earum videretur. Qui per prona montis in cursum se dedere, cœptũ semel impetum sistere, non amplius in illorum potestate est. Ita nec ego iam, cum volo, enumerationem virtutum Draxdorffianarum abrumpere possum,

dum

dum proximæ cuiusque mentio, nouæ dicentem admonet, quam ſicco plane pede præterire non ſuſtineo. Dum narro, quam poteſtate ſua non abuſus fuerit ad cuiusquam iniuriam, aut pro libidine agendi cuncta audaciam; ſimul, ecce, mihi incidit, quam nec eandem habuerit incitamentum ſuperbiæ aut faſtidii. a quo illum vitio cõmunis omnium conſenſus veriſſime abſoluit. Cui enim vnquam quicquam cum illo negotii fuit (appello veſtram omniũ conſcientiam, Auditores) qui elati ſuper alios animi, vlla in re notas potuerit animaduertere. Neque enim dominum, ſed patrem; nec ſeruos, ſed ciues cogitabat: inter ciues ciuis, princeps inter principes; nonnunquã ciuem ac principem miſcebat: fortuna, dignitate, auctoritate, virtute, inter cæteros eminens; iure vero par. Nec iure ſolum par, ſed ne vitæ quidem cultu, aut ſaltem minimum, a priuatis abhorrens. Ciuilitas in ædibus, in cœnis, in tota familia ac diſci-

plina

plina domus visebatur: eiusdemq; fidem vultus, gestus, vestitus confirmabat. Omnis apparatus, imo omnis species aberat superbiæ. Ad quam gratissimam in publicum lætissimamque & benignæ gubernationis & modestæ vitæ rationem non magis suæ ipsum ciuitatis, quam proprius deduxit genius. Qui si in idem cum Augusto ac Traiano potentiæ imperiique fastigium sublatus a fortuna fuisset; parem cum tantis Imperatoribus laudem DRAXDORFFIUS meruerat. quorum modestiã, illius quidem Suetonius; huius vero Plinius, vix inueniunt, quomodo digne satis prædicent, atque documentis illustribus posteritati cõmendent Quanquã ne sic quidem video, quia in minore virtutem illam exercuerit materia, cur propterea celeberrimis illis generis humani Rectoribus cedere Noster debeat: si quidem virtus æstimanda sit animo, non fortuna. Certe si ad Stoam iudicium huius rei deferas, secundum nos illa

quin

quin ſententiam ſit dictura, de hoc nõ eſt, quod dubitemus. Dum autem ita, quemadmodum dixi, ſeſe ſubmittebat, creuit: dum ſe vt Prætorem, & pariter vt ciuem gerebat; ciues eum vt Prætorem ſunt venerati, vt ciuem amauerunt. Ac ne forte exiſtimes, ad ſpeciem aut oſtentationem tales tantasque, quibus magnus Vir eluxerat, compoſitas virtutes fuiſſe, conſtans ac perpetuus ipſarum tenor verum iis æternumque pretium conſtituit. Ad quam totius vitæ æquabilitatem pertinet etiam ſobrietatis, & in permiſſis quoq; ac vſitatis voluptatibus temperantiæ ſtudiũ. quod nec peruerſa ſeculi conſuetudo, qua nonnullos alias haud ſane malos nonnunquam videas abripi; nec, quas non parca manu in illum fortuna contulerat, opum irritamenta interpellare aut conuellere potuerunt. Odio habebat exquiſita ingenia cænarum, & menſæ luxus, qui profuſis ſumptibus exercentur; inprimis vero ſolennia iam certamina

bibendi,&poculorum quaſi bella, quibus vinum pro ſalute aliorum, in damnum ſui corporis, modo non etiam animæ, effunditur. Sed & commode, quam ſplendide habitare præoptauit; modumq; ſupellectili fecit ac familiæ: gaudens virtute, non externis hiſce cenſeri. Pecuniæ nec appetens, nec prodigus, eam ad elegãtem, non affluentem aut ſumptuoſam cultus domeſtici vitæq; in publico agendæ munditiem; quin & ad paupertatem aliorum ſubleuandam conſolandamq; diſpenſauit: non minus & vir & ciuis, & paterfamilias bonus, quam Pomponius ille Atticus: cuius gloriam multis virtutibus æquauit, multis etiam ſuperauit De hoc ſuo Attico Cornelius Nepos prædicet, quod in ſuos fuerit indulgentiſſimus: dummodo eandem laudem in Noſtrum etiam quam maxime conſtet conuenire. Niſi quod pluris Noſter æſtimandus eſt: quippe apud quem, pietatem in neceſſitudines pietas in patriam; hanc pietas in

De-

Deum non fucata, ſed vera præcucurrit. quæ reliquarum virtutum ceu dux,& magiſtra,& moderatrix complementum illis & quaſi vitam addidit: imo ſine qua reliquæ omnes, quantæcunq; etiam videbantur, vanæ fuiſſent ac nullæ. Ex animo, dixi, non ad ambitionem, neque ad dominandi vſus pietatem ei cultam fuiſſe. neque enim huic quicquam tam contrarium eſſe arbitratus eſt, quam ſanctiſſimũ eius nomen, quo multi hodie paſſim in orbe hoc terrarum, ceu ſummo prudentiæ arcano vtuntur graſſanturq;, vel pro velamento vafritiei, vel nocendi inſtrumento habere. Et cum Chriſtianus eſſet, nihil Chriſtianæ diſciplinæ à ſe putauit alienum. Hinc eſt, quod de Deo optime exiſtimare, pura illum caſtaque & voce & vita venerari, curæ ei fuit. quem optimum pulcherrimumq; eſſe cultum, qui Deo exhiberi poſſit, etiã gentes olim agnouere. Hinc, quod precibus quotidianis ac votis cœlum ſibi ſuæque ciuitati

conciliare nunquam intermiſit. Cuius fauor in omnia deinde eius & conſilia & actiones, deniq; in ipſam reip. ſalutem influere, manifeſtis documentis deprehendebatur. nec quicquam vel cogitabat, vel aggrediebatur, quin Deum ſuum in partibus, adeoque in auxilio operis haberet. Æquum proinde fuit, vt qui nihil ſine Deo ageret, diuini etiam auſpicii fructum proſpero rerum omnium ſucceſſu euentuq; reportaret. Vniuerſum vitæ tempus Deo & reip. impendit: quibus ſeruire, exiſtimabat eſſe viuere atque imperare: nec aliud inde præmium quæſiuit, quam vt placeret Numini, & prodeſſet ciuitati: pro cuius bono quæ geſſit, ex iis ſolas curas ac moleſtias ſibi reſeruauit; cætera aliis indulſit. Vidimus hactenus, Auditores ſplendididiſſimi, DRAXDORFFII animum pium, ſanctũ, pulchrum, cœleſtem, ac certiſſima originis ſuæ iaculantem documenta. Videamus etiam, quam conueniens tanto hoſpiti domicilium hoc in

orbe

orbe Deus & natura dederint; corpus erectum, procerum, modice decenterq; crassum, ac succulentum. Cuius dignitas ac forma virum ostentabat; & ita indolem referebat animi, vt animus nobilitatem generis ac maiorum gloriam. Nullam hic Thalestris Amazonum regina, sicut in Alexandro olim, cum rerum gestarum fama magnum quidem, sed corpore paruum illum oculis metiretur, caussam inuenire potuisset, cur ob formam minus luculentam de virtute dubitaret. Quin autem Dei fuerit munus illud, nemo poterit ambigere, qui nihil pulchri fortuito ac temere nasci, secum reputauerit. Nempe verum est, quod non nemo dixit; augustissimam quamque speciem plurimum credi cælo trahere. Et ratio est apud Deum, cur, quos magnæ sorti destinauit, etiam venerabili corporis specie donare amet. Igitur si quis faciem Nostri aspexisset, nesciebat, ad venerationem magis an ad amorem traheretur, ita quasi

ſereni ac nitentis illa cæli imaginem præbebat; ſed in qua ſimul grauitas ſedem poſuiſſe poterat videri. Nec alia voci, quam ori inerat commendatio. Oculorum quoq; vigor, mentem viuidam; tarditas inceſſus hominem oſtendit ſerium & conſtantem. Galba olim fuerat gibboſo corpore deformis. Eius propterea ingenium male habitare, ioco lepidiſſimo Marcus Lollius dicere ſolebat Nos contra DRAXDORFFII noſtri animum optime habitaſſe, vere affirmare poſſumus. niſi quod corpus ſatis in iuuentute validum, ætate ad ſenectutem vergente, ſenſim deficere, ac priſtini vigoris obliuiſci; quin & redeuntibus morborum dolorumq; vicibus plurimum vexari cæpit: Deo quaſi de induſtria ſic fatum viri adgubernante, ne materia fortitudinis etiam demõſtrandæ deſtitueretur. Quam in pace æque ac in bello, magno animo exerceri poſſe, non eloquentia magis ſua, quam & ſapientia cenſendus Cicero

veriſ-

veriſſime adfirmat. Ergo in caſtris alii, inter tubas ac horrenda tormentorum tonitrua, viros ſe præſtiterint, profligauerint hoſtes, laureas ac trophæa reportauerint: attamen non minorem laudem Noſter in vrbe, in ædibus, in lecto deniq; ſuo credendus eſt ſibi peperiſſe; magnifica ratione contemnendo pecunias, voluptates, vanam gloriam, resque alias, in quas hominum cupiditates cum impetu feruntur; aduerſosque, quibus virtutem eius Deus exercere voluit, caſus ac dolores acerbiſſimos inuicta plane conſtantia perferendo: eandem quemadmodum in toga, ita & in ſago demonſtraturus amplius; ſi vel ad Martis ludendos ludos ipſum fortuna vocaſſet, vel debile tandem corpus animo, qui longe corporis & modum & robur excedebat, potuiſſet obſequi. Cuius virtutis vis cum in mortis potiſſimum contemptu cõſpiciatur; quis hic vnquam, quam DRAXDORFFIUS, fortior vel fuit antea, vel poſthac eſt futu-

futurus? Incredibile dictu eſt, quanta fiducia, quanta patientia, quanta animi tranquillitate & quiete corporis hoſtem iſtum, a quo neminem communis lex mortalitatis abſoluit, expectauerit procul adhuc minantem, ſuſtinuerit propius imminentem, ac vltimo tandem impetu vincentem ipſe vincens eluſerit, pudore confuderit, ex alto deſpexerit. Ad quem conflictum probe ſe antea prouidi militis inſtar, cum ſuis ſolius viribus diffideret, precibus, quas ardentiſſimas in cælum effundebat, firmiſſime muniuerat. Itaq; poſt vltimæ voluntatis partim ſcripto, partim voce comprehenſam ordinationem, cum totum ſe rebus curisq; humanis ſubtractum Deo tradidiſſet: nihil deinde niſi peccata ſua, quæ deteſtabatur; niſi Seruatorem ſuum, quem amplectebatur fide, cuius verbo, cuius ſanguine ac carne ſubinde ſe refecerat; niſi cælum ac æternitatem, cuius candidatus ac flagrantiſſimus erat ſititor, amplius locutus eſt:

vt

vt qui bona conſcientia iam tũ cœleſtium æternorumque, quæ mox plene percepturus erat, gaudiorum dulcedinem prægustaret. Sic non mortem tantum, ſed cum morte mundum vniuerſum contemnendo æternus victor iam triumphat. Triumphet ſane, triumphet Anima incola iam cæli, amica Dei, Angelorum ſocia: triumphet, inquam, ac tota gaudiis ebria, miſeriarũ omnium, omnium in mundo rerum ſit oblita. At nunquam nos Tui, ciues tui, ô Pater quondam patriæ, quandiu ſupereſſe nobis dabitur, obliuiſcemur: quos orbos, conſilii opisque tuæ egenos, plenos mœſtitiæ reliquiſti. Nunquã memoria noſtra excidet annus huius ſeculi ſexageſimus ſecundus; nunquam huius anni dies tum vndecimus Septembris, tum eiusdem menſis decimus & quartus: quorum illo amiſimus, hoc extulimus, Senatus noſtri principem ac decus, magnam vitæ, ſpei ſalutisque noſtræ partem, fulcrum reip. ac columen: quibus

diebus, Te, ô iam beatiſſime DRAX-DORFFI, amiſimus, Te extulimus: poſtquam vixiſſes annos ſexaginta octo, & menſes quinq; Heu quam acerbum, & quod eloqui vix ſuſtinemus, verbum nobis eſt, dicere, Te fuiſſe: ô quam mallemus dicere, Te eſſe! Namque Tu ſolebas nos, ceu pater liberos amare; ceu oues paſtor, defendere ac tueri: tu curabas, vt nos ſecuri; tu laborabas, vt nos eſſemus otioſi; tu, vt nobis bene eſſet, agebas omnia. Qualia beneficia quamuis diffluxerint ad omnes, ad nos tamen peculiariter pertinuere, qui almam hanc ſtudiorũ Matrem quacunq; neceſſitudine contingimus: & cum olim beneficia, peculiariter nunc etiam deſiderium ac luctum ad nos pertinere intelligimus. Nam & nos patronum ac tutorem, heu! quondam noſtrum amiſimus; qui vt diſcentibus induſtria, induſtriæ ſua præmia; vt ſua docentibus auctoritas, atque ab auctoritate alacritas; vt vis ſua legibus, à legibus diſciplinæ

vin-

vinculum; in vniuerſum vt huic eruditionis ac bonarum mentium officinæ ſua, quam ſemper hactenus poſſedit, dignitas, laus & gloria conſtaret, longo tempore nulli curæ ac ſtudio, nulli operæ ac labori pepercit; idq; cauit vnice, ne res Scholaſtica detrimentum caperet. Voluptas eſt recordari, quo fauore litterarum honores merentibus conferri & iuſſerit & viderit: vt ipſis honoribus honorem ampliorem ſua præſentia, ſua approbatione addiderit. Aſpectus eius non illos modo exhilarauit, quorum ſolennitates agebantur; ſed neſcio qua tacita vi reliquos etiam omnes ad virtutis laudisque ſtudium inuitauit. Imo voluptas eſt recordari, quam faciles ac beneuolas iuſtis doctorum publicorum aliorumque ſe adeuntinm deſideriis præbuerit aures; quam neminem eorum vnquam ſine ſolatio, ac certa ſpe auxilii, neminem vnquam triſtem a ſe dimiſerit.

Floruit ſub Præſide tali Academia, floruerunt litteræ, fundamentum præſentis, ac futuræ felicitatis indubitatum pignus. Quam fortunam cum debuerimus DRAXDORFFIO, partem ſibi huius meriti vindicant Viri maximi, quos ille in regiminis Scholaſtici munere habuit Collegas, INGOLDUS, MEIERUS, WENCKERUS, STEMLERUS: quibus nominibus, qui & quales tituli, honores, virtutes ac decora contineantur, nemo adeo in rebus Argentoratenſibus eſt hoſpes, qui ignoret. Scilicet æquum eſt, vt, qui earundem pro Academia iuuanda ornandaque curarum ac laborum geſſere partem, partem etiam inde partæ laudis gloriæque capiant Nec profectò hic verendum eſt, ne id forte contra mentem ſit defuncti. Nam & ipſe, cum adhuc inter uiuos degeret, idem fateri nequaquam dubitauit. quippe qui ſuæ etiam in aliis virtuti fauere cõſueuiſſet; nec maligne crederet ſuæ gloriæ decedere, quicquid tribueretur

alie-

alienæ. Et ſi adhuc vocalem eum eſſe mortis conditio pateretur, etiam e ſepulchro dignum fidei auxiliique ſibi præſtiti magnis Collegis illis ſuis teſtimonium perhiberet. Sed quod quæ fuerunt ante, adhuc ſint, hoc eſt, quod adhuc Schola; in Schola litteræ floreant, vigeantq;, hoc Veſtrum beneficium eſt, Eminentiſſimi Triumuiri, quorum ceruicibus rei Scholaſticæ cura iam incumbit: imo beneficium eſt Dei, qui Vos e cœlo dedit, vt in tantorum deceſſorum Veſtrorum, non virtutem minus & gloriam, quam locum ac munus ſuccederetis. In Te enim, Generoſiſſime Cancellarie, HENRICE BALTHASAR a KIPPENHEIM, in Te ſuperſtes nobis vivit adhuc DRAXDORFFIUS noſter, qui cum bonorum ſuorum parte omnes ſimul dotes Tibi laudesq;, quibus olim eminuerat, tranſcripſit. Sed nec in Vobis, Viri Nobiliſſimi, ANDREA BRACKENHOFFERE, & IOHANNES IACOBE KIPSI, Scholarchæ benigniſſimi,

mi, nobis deeſt vel Ingoldi magnus inuictusque animus; vel ad demerendos homines eximia humanitas Meieri; vel profundo in pectore recondita prudentia Wenckeri; vel Stemleri circumſpecta, & magna cum deliberatione ad negotia accedens prouidentia; vel cæterorum, qui ante hos fuerunt, omnium curæ ac ſolicitudines, quibus Scholam vel ab initio condere, vel conditam altius euehere, vel euectam conſeruare, atq; ad poſteros transmittere aduigilarunt. Pergite ita, DOMINI, quorum curæ fideique Deus Academiam commiſit, quod hactenus feciſtis, porro facere: hoc eſt, pergite & eorum, a quibus Scholam per manus quaſi accepiſtis traditam, ſplendido exemplo, & ſtimulo propriæ virtutis excitati, tum communem ciuitatis Veſtræ, tum propriam gloriam, bonarum litterarũ officinas ac doctores tuendo, conſummare; atq; æternitati, quam meremini, etiam hoc pacto nomina Veſtra conſecrare. Sed &

Vos,

Vos, qui præter illustres Academiæ Curatores, ex Reip. vel Proceribus, vel Consiliariis adestis, Viri Generosissimi, Nobilissimi, & Amplissimi, Patres Patriæ ac Patroni Scholæ benignissimi: & Vos, inquam, pergite consilium operamque Vestram iungere ad promouendum opus tam Deo placens & sanctum, tam vrbi Vobisq; honorificum, tam liberis posterisq; Vestris vtile ac optabile. Quos sane nulla re fortius ad æternas Vobis agendum grates potestis obligare, quam si & hanc sublimis Vestri muneris, quod in rep. administranda consistit, haud sane partem infimam curæ vobis cordiq; esse patiamini. Non ipsi solum Academiam habete Vobis commendatam; sed eandem etiam Amplissimo Ordini, cuius præfulgentia estis vel membra vel ministri, Vestris verbis de meliore nota commendate. Credite DRAXDORFFIUM moriturum desideriis vltimis hoc ipsum a Vobis petiisse: inprimis, a Te, Generosissime Prætor,

PHI-

PHILIPPE ALBERTE BERNOLDE: qui quanti non tam ob ſanguinis, quo iunctus illi fueras, quam virtutis cognationem eidem fueris æſtimatus, id vltimo, quod reliquit, iudicio omnibus cognoſcendũ dedit. Omnes Vos, ô Animæ venerandæ, & quæ victuris litterarum præconiis a morte vindicemini, digniſſimæ, Scholam quæſo commendate. Dicite, quod ea ſit cæli munus, decus vrbis, ſalutis officina publicæ: quæ idoneos rectores ciuitatibus, cathedris doctores, patres familiis; in vniuerſum Viros pios, honeſtos, eruditos, ad varia munia præparet humano generi ac ſubminiſtret. Dicite hæc, atque exemplum Veſtrum in fidem dictorum allegate. Approbabit, ſcio, approbabit cõmuni conſenſu inclytus Senatus iſtum ſermonem Veſtrũ; & ipſe ſibi Vobiſcum gratulabitur, de pignore tam caro, tam pretioſo: atq; in cuſtodiam huius ac propagationem quicquid curarum, laborum, atque etiam ſumptuum vel hactenus impenſum

pensum est, vel porro impendetur, optime atque vtilissime & collocatum esse, & collocatum iri, decreto non in annum, sed in perpetuum valituro confirmabit. Deus Vos, cum vniuerso Amplissimo Senatu, ô inclyti Reip. ac Scholæ Proceres, conseruet. Liceat nobis, quod votum in ædibus quisque nostris quotidie pro incolumitate Vestra, pie solemus nuncupare, idem nunc etiam in publico hoc loco, & Vobis & cæteris omnibus audientibus repetere. Cur enim vsquam aut vnquam id faciendi nobis tædium subiret? qui non ita barbari ac rerum ignari sumus, vt non intelligamus, a salute Vestra nostram esse suspensam, adeoque, si pro Vobis precamur Deum, nos precari pro nobis ipsis. Ingemino igitur: Deus Vos conseruet; seroque, & non nisi, postquam & plurimos ætati Vestræ iam transactæ annos, & plurima laudibus iam partis decora noua adieceritis, vitæ gloriæq; saturos ex orbe hoc in cælum iubeat

I redi-

redire. vbi DRAXDORFFIUS quondam, & Vester & noster suarum iam virtutum, suorum laborum, meritorum suorum, inter sidera ac stellas, imo sideribus ac stellis multo sublimior, multo clarior, in sinu Abrahæ, in Christi brachiis, in conspectu Dei, æterna & nunquam finitura capit præmia: vbi lætitiarum immenso quasi oceano superfusus, præ illa beatitudine, in qua iam constitutus viuit, omnem & natalium, & opum, & honorũ & rerum aliarũ, qualibus terra potuit virtutem eius remunerari, fluxum, caducum, ac temporarium splendorem, alto despicit supercilio, superboque pede conculcat: vbi vnicum ac summum bonum oculis insatiabilibus intuetur, vlnis fatigari nesciis amplectitur, hymnis in æternum duraturis, etsi non extollit, tamen si posset, extollere gestit. Quid igitur? Nos, ô beatissime DRAXDORFFI, licet non amplius Te aspicere, nõ amplius Te amplecti

pos-

possimus: attamen, quod solum nobis est reliquum, nomen ac memoriam Tui, quandiu hoc in orbe erimus superstites, omni honore ac veneratione, omnibus bonis verbis ac recordationibus prosequemur: atque inter nos, quotiescunq; conuenerimus, Te memorabimus fuisse Patriæ ac Scholæ nostræ Patrem, pium, prudentem, industrium, benignum, felicem: memorabimus Te fuisse virum maximum, virum optimum; generis humani, inprimis vero ciuium tuorum amorem ac delicium.

DIXI.

In

Errata, quæ pauca remansere e. g. discipulina pro disciplina, sollicitus pro solicitus, axilio pro auxilio, item in aliquot vocabulis, vt in pæna, cælum, & mæror, æ pro œ positum, & si quid præterea est, beneuolus Lector ipse inter legendum apud animum suum corriget.

In
PANEGYRICUM,

quo Memoriam
VIRI GENEROSISSIMI
IOHANNIS CHRISTOPHORI DRAXDORFII,

Reipublicæ Argentoratenſis Prætoris, Senatus Principis, ciuium Patris, Academiæ Cancellarii, vndiquaque præclariſſime meriti,

publico nomine veneratus eſt
V. CL. SAMUEL SCHALLESIUS,
Eloquentiæ Profeſſor Excellentiſſimus.

ALſaticos inter Proceres, & clara Senatus
Lumina, quæ priſcæ præfulgent gentis honore
Et meritis, quantum DRAXDORFFIUS inſtar haberet;
Cõditor haud impar tantis *Schallesius* actis
Miran-

Miranti exposuit facundâ voce Coronæ.
Felices operũ! scribenda patrauerat ILLE,
Iste legenda stilo signauit. *scriptor* &
AUCTOR (ambo.
Supparibus viuent per sæcula laudibus
ILLE Pater Patriæ, Fabius, Curiusq;, Cato-
Iustus Aristides, ciuili more animoq; (que,
Timoleon; virtutis consiliiq; vigore
Inferior nullo, quos Roma aut Græcia
laudat: (verbis
Tullius *Hic*, quotiens diffundi splendida
Materies, vel si memorari strictius optat,
Plinius, & pennæ dominus sublime vo-
lantis.
Det Deus, vt quoniam bene gestis rebus
abundans (nebit,
Argentina fuit semper, semperque ma-
Non desint vnquam, bona qui bene dice-
re facta
Possint, exemplis serosq; iuuare nepotes.

Affini honoratißimo typis vulganti Panegyricum
adiecit αὐτοσχεδίως

Io. HENRICUS BOECLERUS.

Con-


Contulit in Patriam qui plurima commoda, remq́;
Communem priuæ, dum fuit, antetulit:
Et qui quam studiis partem Lex summa dicauit
Vrbis Palladium credidit esse suæ,
Defensamq́; magis DRAXDORFFIVS extulit, æquas
His meritis laudes post sua fata capit.
Laudes ore suo SCHALLESIVS explicat, omnis
Doctorum assensu sed pia turba probat.
Scilicet eloquio ferri non impare Virtus
Debuit, exemplis connumeranda bonis;
Quò bonus Orator mansuro in secula scripto
Illustris meriti perpetuaret opus.

Obseru. causs. lmq;
adiecit

M. Ioh. Christophorus Artopœus.

FINIS.

pœus.



RECTOR
VNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS
JOHANNES ALBERTUS SEBITIUS,
MEDICINÆ DOCTOR ET PROFESSOR ORDINARIVS,

Lectori Beneuolo S. P. D.

PRæclara, omnique laude & commendatione digna extat apud *Hippocratem*, dogmaticæ & rationalis Medicinæ Principem, in epiſtola ad Senatum populumque Abderitarum exarata ſententia. Beatæ, inquit, illæ cenſendæ ſunt gentes, quæ cognitum perſpectumq; habent, Viros bonos & probos, ſua eſſe ἐρύματα, munimenta, non turres, non alta mœnia, non etiam, addo ego, valida & fortia valla, foſſasue profundas. Et rationem ſtatim ſubiungit, quoniam bonorum virorum, & honeſtatis omnisque virtutis amantium, bona quoque, prudentia, & ſalutaria eſſe conſilia conſueuerunt. Experimur enim, munimenta iſta fluxa eſſe atque caduca, ac poſſe tormentis machinisque bellicis euerti, diſiici, ſoloque æquari: bonorum autem prudentiumque Virorum conſilia eſſe durabilia, ac Rerumpublicarum ſtatum felicem non modò conſeruare, verùm etiam amplificare, & ad ſeram vſq; poſteritatem laudabiliter propagare: ita vt non immeritò veterum quidam dixerit, quòd Reſpublicæ tamdiu florere ac vigere ſoleant, quamdiu in illis ſapientia & conſilia regnant ac florent. Proinde Viris ſapientiæ nomine celebratis per mortem ereptis, actum de illarum proſperitate videtur: idque eò magis, quoniam Viros inuenire, qui conſilio & prudentia polleant, admodùm eſt difficile. Sic enim *Artaxerxes*, Perſarum Rex potentiſſimus, ad *Hyſtaniden*, Helleſponti Præfectũ, olim ſcripſerat, cùm in mandatis illi dediſſet, vt *Hippocratem* ad ſe ablegaret, quò graſſante tunc temporis peſte, vſui ſibi emolumentoque eſſe poſſet. Anxios enim, perturbatos, valdeque ſolicitos ſuos eſſe milites, non belligerantes debellari: ſauciari multos, ægreque illos peſtem feciſſe curabiles: venenata ipſis incuſſiſſe ſpicula: ac propterea conſilii ſe eſſe inopem: neque ampliùs habere, quod cum Viris naturâ prudentibus deliberare queat. Talem Virum, bonum ſcil. veræ pietatis ſtudioſum, & ſalutarium conſiliorum pleniſſimum, habuimus noſtra in Republica & Vniuerſitate Generoſum, Nobiliſſimum, maximeque

Stre-

Strenuum, atq; Amplissimum Dominũ IOHANNEM CHRISTOPHORUM à Draxdorff/ Prætorem & Tredecimuirum Reipublicæ meritissimũ, & Vniuersitatis Cancellarium ac Scholarcham laudatissimum, qui post multos exantlatos labores, deuoratas molestias, latas curas, variasq; corporis ægritudines tandẽ superatas, præterita die *Iouis*, quæ erat Mensis Septembris XI. paulò ante septimam matutinã, piè & deuotè in CHRISTO Saluatore suo, inter preces ardentes, & lacrymas adstantium vbertim profusas, obdormiuit: ita vt inclytus ordo Senatorius obitum tanti Viri non immeritò lugeat: multis illum prosequatur fletibus Academia: ingemiscat Ecclesia: boni cordatiq; Ciues omnes in mœrore & tristitia haud leui versentur. Quapropter meritum illius est, vt cuiusq; status & ordinis Viri vltimum illi honorem exhibeant, & sua nobili, spectabili, & insigni præsentia exequias eius cohonestent. Honor quippe ab hominibus debetur, quos DEUS ipse maximo dignos honore iudicauit. Iudicauit autem dignos Magistratus, eosq; Ps. 92. Deos & Filios Altissimi nominauit: quo sanè elogio nullum maius excogitari, neque verbis exprimi potest. Solito autem more μακαρίτου nostri, nunquam sine honoris præfatione nobis nominandi, vitæ curriculum delineabo. Natus est anno 1594. 1 Aprilis, in arce Wantzenauensi, Patre, Viro Nobilissimo, Dom. IOANNE CHRISTOPHORO à Draxdorff/ Præfecto primùm Episcopali in Wantzenaw: posteà verò Præfecto superiore in Oberkirch/ quod oppidum est Serenissimi & Celsissimi Ducis Würtembergici, &c. Matre verò VRSULA, ex Nobilissima Iohmiorum à Mundolßheim prosapia oriunda, Matrona omni virtutum genere ornatissima. Cùm verò pientissimi Parentes ex sacris didicissent probè, Pietatem ad omnia vtilem esse, & promissiones habere huius & æternæ vitæ, prima ipsorum cura erat, vt Filius sibi natus sacro Baptismatis fonte ablueretur, & in numerũ Filiorũ Dei reciperetur: posteà verò, cùm ad maturiorem ætatem peruenisset, non solùm in orthodoxæ religionis capitibus diligenter informaretur, sed etiam ad literarum humaniorumq; artium studia, quæ Nobilitatis pulcherrima sunt ornamenta, assiduè adhiberetur. Literarũ studiis mediocriter imbutus, vt multorum hominum mores & vrbes videret, fieretque, sicut *Homerus* loquitur, πολύτροπος, ablegatus est ab honoris causa iam nominatis Parentibus in Galliam, Angliam & Italiam. Redux in Patriam factus, de matrimonio cogitauit, viceque prima connubio sibi stabilique nexu ligauit Virginem, non generis

modò

modò nobilitate condecoratam, ſed etiam animi corporiſq; bonis egregiè inſignitam, EUAM SUSANNAM, Nobiliſſimi, Strenui, & Ampliſſimi Viri, Dom. IOHANNIS HENRICI VOLZII ab Altenaw / Prætoris quondam noſtræ Reipublicæ meritiſſimi, & Nobiliſſimæ itidē laudatiſſimæq; Dom. VERONICÆ ab Endingen Filiam dilectiſſimam. Verùm ſterile hoc primū fuit matrimonium, ipſaq; ſuauiſſima coniunx 16. Aprilis Anno 1629. diem ſuum obiit. Cùm verò bonum non ſit, hominem eſſe ſolum, ſecundum matrimonium iniit cum Nobiliſſima Virgine AMELIA Zornin / Viri maximè Strenui & Nobiliſſimi Dn. IACOBI Zornen à Plobsheim / & eiusdem nobiliſſimæ coniugis, AMELIÆ Zornin / ex Nobiliſſimorum Wormbſerorum à Schäffolßheim familia natæ, Filia: cum qua duos quidem genuit Filiolos, ſed defunctos in lucem editos, Filiolamque vnicam, EVAM AMELIAM baptizatam, quæ tamen poſt ſemeſtre elapſum ex ſordida huius mundi colluuie diſceſſit. Ipſa quoque Mater, deſideratiſſimi noſtri Prætoris & Cancellarii medullitùs dilecta coniunx, d. 2. Ianuar. Anno 1656. ærumnoſum vitæ huius ergaſtulum reliquit. Poſtquam autem Deo Opt. Max. in cuius manu ſortes ſunt noſtræ, placuiſſet etiam ſecundam vxorem ad ſe ex mundi huius miſeriis euocare, tertium contraxit matrimonium cum Nobiliſſima Dom. MAGDALENA ab Hünoldſtein / Nobiliſſimi, maximèq; Strenui Viri, Dom. GEORGII WILHELMI ab Hünoldſtein piæ memoriæ vidua, & Nobiliſſimi, Generoſiſſimiq; Viri, Dom. GEORGII à Geißpolßheim in Lautern / & Dom. MARGARETGÆ, natæ ex prænobili Blieckiorum à Liechtenberg / Filia. Integritate vitæ, morum probitate, & ingenii illius perſpectâ felicitate, Anno 1621. & 1622. aſſignatus eſt Adſeſſoribus minoris Senatus. Poſteà euectus ad gradum altiorem, nempè ad Senatum maiorem: cui muneri inſeruiit Anno 1623. & 1624. Anno 1625. rediit vice ſecunda ad Senatum minorē, eiq; operam ſuam nauauit vſque ad d. 12. Septembris eiusdem Anni. Tùm enim in ordinem Viginti vnumuirorum fuit aſcitus. Annis ſequentibus, nimirùm Anno 1626. 627. 629. 630. 632. 633. 635. 636. 638. 639. 641. 642. 644. 645. 647. 648. 650. 651. 653. 654. 656. 657. 659. 660. Adſeſſor fuit Senatus maioris. Anno 1626. d. 22. Iulii ordinatus Præfectus illorum Ciuitatis locorum, qui vulgò Allmend vocantur, & annuum cenſum Magiſtratui tribuunt. Anno 1629. d. 28. Martii receptus in Collegium Dom. Quindecimuirorum, & incendiorum

Præ-

Præfectus constitutus. Anno 1633. d. 19. Octobr. Præfectus Claustri, siue cœnobii Pœnitentialium electus: eodemque etiam rei Vinariæ & dynastiæ Herrensteinianæ supremus inspector salutatus. Anno 1635. Primas ædilis dictus, eodemque d. 8. Ianuarii in numerum Dom. Prætorum accersitus, simul etiam d. 15. Iunii Cancellarius Vniuersitatis factus. Anno 1637. d. 29. April. Præfectus rei frumentariæ, siue publici granarii creatus. Anno 1637. d 22. Nouembr. diuersorii pauperum Aduenarum declaratus, eodemq; etiam d. 29. Nouembris Præfecturam S. Nicolai in vndis nactus est. Anno 1638. d. 20. Augusti, feudũ & Præfecturam Wangenheimensem ab Illustri & Generosa Dom. Abbatissa S. Stephani impetrauit. Anno 1640. d. 16. Iunii collegio Dom. Tredecimuirorum associatus: eodemque d. 28. Iunii Præfecturam territorii Waslenheimensis consecutus. Anno 1655. d. 29. Martii inspectio suprema Cancellariæ, siue Grammatophylacii ipsi fuit demandata. Anno 1656. d. 27. Maii præfecturam Carthusiæ in se suscepit. Quibus officiis ac mueribus quanta diligentia, cura, fidelitate & dexteritate Nobilissimus Dom. Prætor fuerit defunctus, notius est, quàm vt pluribus à me recenseri debeat. Æternam sanè nominis sui famam post se reliquit, non ob merita solùm in Rempubl. nostram collata, sed ob frequentes etiam Academicas promotiones Doctorum, Licentiatorum, Magistrorum, Poëtarum, & Baccalaureorum, quibus & interfuit, quantum illi per valetudinem licuit, & vice Sacræ Cæsareæ Maiestatis nostrique Magistratus inclyti potestatem promouendi Brabeutis vltra 27. annos liberalissimè concessit; concessurus etiam fuisset vlteriùs, si ita diuino placuisset Numini. Verùm maluit illum senio confectum, curis atque laboribus fractum, & multis ægritudinum agminibus afflictum ex lacrymosa mundi valle ad se euocare, & vita illa ignara mortis, nescia tristitiæ, doloris ac laboris experte, totiusq; elegantiæ & dignitatis, vt D. *Augustinus* loquitur, plenissima, donare. Ciuium, & subditorum huius vrbis nunc est, Deum præpotentem precibus inuocare ardentibus, vt in Dom. Prætoris & Cancellarii locũ dignetur surrogare alium, qui pari authoritate, fide, & dexteritate negotia Reipubl. & Vniuersitatis sibi commissa expediat. Funus efferetur hodie hora prima ex ædibus Dom. Prætoris defuncti, ea in platea sitis, quæ nomen à summo templo sibi vicino accepit. Perscriptum Argentorati, d. XIV. Mensis Sept. Anno recuperatæ per CHRISTUM Mediatorem salutis humanæ M DC LXII.

RECTOR

RECTOR
VNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS,
IOHANNES MELCHIOR SACHS,
V. I. D. ET INSTITUTIONUM IMPERIALIUM PROFESSOR ORDINARIVS.

L. S. P.

VEtustissimam iuxta & laudatissimam fuisse consuetudinem inter gentes non prorsus inhumanas & barbaras, (eas enim nihil moramur, quæ nihil sua interesse post mortem arbitrabantur, huminè an in sublimi putrescerent, & vtrum feris & volucribus laniandi proiicerentur, an honestè conderentur suæ reliquiæ, sicuti neq; illas quæ senio confectos mactabant & deuorabant, vt de Tribalis memoriæ proditum est) tum solenni apparatu & pompa cohonestandi defunctorum exequias, tum certo temporis interuallo iusta illis persoluendi ac parentandi, ex Historicorum lectione manifestum est. Sanè quod ius funerandi attinet, Romanis maximè curæ fuit honesta & decens sepultura, & ad publicam vtilitatem pertinere existimarunt, ne insepulta iacerent corpora siue cadauera: adscripserunt etiam humanitati, misericordiæ & pietati, si quis cadauer, maximè quod alienum seu extraneum foret, funerasset, vt patet ex *l. si quis sepulchrum. 12. §. hoc edictum. 3. l. & si quis. 14. §. sed interdum. 7. l. sunt personæ. 43. de relig. & sumt. fun.* indeq; actionem funerariam ex æquo & bono introduxerunt, quam dabant ei, qui propter funus aliquid impendisset, ad id recuperandum, *d. l. & si quis. 14. §. hac actio. 6. ff. d. t.* Non exponam nunc Decemuirorum Leges, inter quas non postremum sibi vendicat locum illa, cuius vestigia extant apud Ciceronem *lib. 2. de Legib.* & Plinium *lib. 21. c. 3.* QVEI CORONAM PARIT IPSIVS PECVNIAEVE EIVS VIRTVTIS ERGO DEDITOR; IPSEIQVE MORTVO PARENTALIBVS EIVS QVOM ENTVS POSITOS EST, QVOMQVE FORIS EXFERTOR IMPOSITA SE FRAVDE ESTOD: cuius explicationem videre licet apud Rittershusium ad LL. XII. Tabb. *cl. 1. c. 10. p. 31.* Vnicum Polybii locum *lib. 6.* adducam, quem hîc integrum adscribere haud piget: *Si quando, inquit, apud Romanos quispiam ex illustribus Viris ex hâc vita discesserit, elato funere portatur cum reliqua pompa ad rostra sic dicta in forum, & nunc stans conspicuus, nunc obuolutus, idque raro, vniuersa plebe circumstante rostra ascendit, siquidem filius adultus superstit ac præsens existat: sin verò, alius quisquam ex ipsius genere, ac demortui virtutes, & quæ in vita præclarè gessit, deprædicat. Et hinc accedit, vt multi admoneantur, & quæ gesta sunt inspiciant, fiantque non illi modò, qui operum illius fuêre consortes, sed & exteri vsque adeò compatientes, vt casus eiusmodi non solum illis, qui periclitantur proprius, sed & populo videatur esse communis.* Et paulò post, cum de imaginibus dixisset, quas in vesti-

veſtibulo ædium ponere & colere conſueuiſſent Romani, hæc ſubiungit: *Vbi autem præclarus aliquis ex domeſticis vltimum diem obiuit, inſtituunt funeris elationem, & circumfuſi, qui ſimillimi magnitudine ac reliquâ ſtaturâ videntur, veſtitum vſurpant, ſi vel Conſul, vel Imperator fuerit purpura circundatum, ſi Cenſor purpureum, ſi triumphum egit, vel tale quid perfecit, auro contextum; iſti curru ſic incedunt: faſces & ſecures ac reliqua Principatibus conſueta, ſecundum dignitatem cuiusque præcedunt, quo dùm in viuis eſſet, in Rep. eminuit. Vbi ad roſtra veniunt, cuncti ex ordine ſellis elephantinis ſedent, quo ſpectaculo haud facilè poterit quicquam ſpectari pulcrius iuueni gloriæ & honeſtatis cupido. Etenim eorum Virorum, qui virtutis gratia glorificantur, videre imagines, easque omnes veluti viuas, quem non excitaret? quodnam aliud pulcrius ſpectaculum? Præterea, qui de iam ſepeliendo mortuo concionatur, etiam de aliis diſſerere incipit, id primum de maiore natu ex his, qui præſentes ſunt, recenſens, quid quisque illorum conſecutus ſit ac geſſerit; vnde fit, vt frequenter bonorum Virorum præconia virtute acquiſita renouentur, ac celebritas illorum, qui honeſti aliquid geſſerunt, immortalis ad poſteros propagetur, & gloria illorum, qui patriæ benefecerunt multis innoteſcat. Et quod maximum eſt, iuuentus ad hoc prouocatur, vt nihil non pro Reip. commoditate ferendum ſubeat, quo celebritatem, quæ bonos viros comitatur, conſequatur.* Hactenus Polybius. Sic primus apud Romanos funebri oratione collegam ſuum Iunium Brutum laudauit P. Valerius Publicola Conſul anno primo poſt Reges exàctos, quam orationem tam acceptam, tamque charam populo fuiſſe Plutarchus ſcribit, vt inde tractum ſit, vt omnes boni & magni Viri, cum fato conceſſiſſent, ab optimis laudarentur. Qui honor poſterioribus temporibus etiam illuſtribus iuuenibus & claris mulieribus, quemadmodum cum ex aliis, tum ex Plutarcho, Suetonio, Dione manifeſtum eſt, fuit conceſſus: hisq; ſic peractis funus procedebat, donec ad locum veniretur, vbi mortuus vel ſepeliendus vel cremandus erat. Cæterum cum nonnulli eſſent, qui ſuorum vel propinquorum, vel amicorum deſiderium minùs ferre poſſent, tertium, ſeptimum, nonum, & quidam viceſimum, trigeſimum, quadrageſimum manibus & memoriæ ſtatuebant, vnde parentationes, feralia, nouendialia, decenalia, vicenalia, tricenalia, &c. originem traxerunt, harumq; parentationum nõ poſtrema pars fuit defuncti, mediocri adhibitâ commiſeratione, laudatio; quâ pariter defuncti iam humati virtutes & dicta & facta egregia, adeoque totius vitæ curſus recenſebatur & felicitas decantabatur. Etſi enim nullum ex iis rebus emolumentum ad defunctum peruenire nouerant: tamen æquum, iuſtumque iudicabant, animum erga præclarè de ſe meritos memorem gratumque modis omnibus declarari, eorumque virtutes non ſolum præſentes, verum etiam ex oculis ablatas coli: & in conſpectu monumenti cenſebant ineſſe plurimùm, vt tum pudore inhoneſti funeris malorum improbitas coërceretur, tum honoris vltimi deſiderio ad virtutis ſtudium bonorum incenderetur alacritas. Nominatim verò hâc in parte laudatur Athenienſium inſtitutum, qui non ſolùm indignos honoribus exiſtimabant eos, qui debito obſequio & obſeruantiâ parentes non colebant ſuos, vtpote quos neque ſacrificia piè facere, neque aliud quicquam

ho-

honestè, iusteque agere posse crederent: sed in Magistratuum quoque electionibus, si quis Parentum sepulchra non ornaret, diligenter inuestigabant. Ex hoc fonte manasse in Ecclesiâ videtur dierum-festorum celebratio, sancita initio partìm ad considerandam hominum Sanctorum, quibus alter quasi natalis fuerat beata ex hâc vita ærumnosa ad cœlestem emigratio, memoriam, partìm ad prædicandam æternam DEI bonitatem, qui per defunctorum ministerium singularia in genus humanum contulisset beneficia, partìm denique ad prouocandos ad eorum imitationem superstites. Sed quod in plerisque aliis rebus bonis ac laudabilibus solet euenire, idem etiam in hoc bonorum genere videmus factum. Nam vt Gentilium taceamus ambitionem, qui arduo & operoso monumentorum honore, aut magnifico ludorum, conuiuiorumque apparatu non tam defunctos honorârunt, quam viuentes ita onerârunt, vt profusione nimiâ ad inopiam multi redacti fuerint: quis superstitionem ignorat ab his initiis in Ecclesiam introductam & in annos prope singulos cumulatam, quà res eo tandem rediit, vt immodicè aucto dierum festorum numero, otium illud non ad res sacras, DEOque gratas & hominibus salutares conuerteretur, sed iis rebus, quas maiores nostri etiam Ethnicis vitio verterant, consumeretur? Imò tantùm abfuit, vt ad DEI gloriam, hominum piè quondam mortuorum memoria & celebratio conferretur, vt ad summam quoque diuini nominis contumeliam deditâ operâ dirigeretur. Non enim veriti sunt quidam scribere: honorandos sanctos, vt quam per nos salutem habere non possumus, eam illorum intercessionibus adiuti mereamur; per sanctorum gloriam, quæ in ipsorum festiuitatibus proponitur, nostram alendam, augendamque esse spem & securitatem. Si enim mortales homines nobis similes ita potuerunt per sua merita sublimari, non esse cur idem nobis euenturum desperemus: reddendum Sanctis debitum mutuæ vicissitudinis, vt qui de nobis festum agunt in cœlo, de iis festum nos agamus in terris &c. Sed his verbosiùs exponendis intempestiuum nunc fuerit diutiùs immorari. Nos gratias agimus æterno DEO immortales, qui superiori seculo ab his quoque dierum maleferiatorum sordibus Ecclesias nostras repurgauit, excitatis in hâc potissimum Academia iis Viris, quorum nomina & merita grata prædicabit posteritas. Illorum verò in locum cum diuina nos suffecerit gratia, quemadmodum aliis in rebus, ita in hoc parentandi officio æquum, piumq; sensemus, nos eorundem, qui recto nos itinere præcesserunt, sequi vestigia. Nam & illi habuerunt quorum hâc in parte imitarentur exempla, AEgyptiorum scil. piorum deflentium Iacobum Patriarcham defunctum septuaginta diebus; Israelitarum deflentium Aaronem mortuum triginta diebus; eorundem Israelitarum deflentium Mosen itidem triginta diebus, vtique non tam eiulatibus, quam orationibus funebribus, quæ exempla Syrachi filius in suis posterioribus doctrinis suo tempore æmulatus fuisse videtur. Quamobrem cum Viro Generoso perquàm Strenuo DN. IOHANNI CHRISTOPHORO à DRAXDORFF, Prætori ac TredecimViro inclutæ huius Reip. grauissimo & Vniuersitatis vltra annos 27. CANCELLARIO Eminentissimo, heu quondam! nostro ante annum & quod excurrit, supremum pietatis & humanitatis officium summo luctu præstiterimus, exuuiis illius Christiano ritu terræ

omni-

omnium matri commendatis, Parentationis hunc honorem, DEO propitiante, addemus. Amisisse siquidem tantum CANCELLARIVM, fide, prudentiâ, grauitate celebrem, consiliis fidelem & cautum, eximio, longoque rerum vsu insignem, tam puræ conscientiæ, quam exactissimæ iustitiæ tenacem, vulnus est non summam cutim perstringens, sed pectus intimum afficiens, & sui recordationem in omnium animis subinde excitans. Ad hanc ergò confirmandam altiusque animis nostris infigendam & æternitati consecrandam cum Vir Excellentissimus & Clarissimus Dn. SAMVEL SCHALLESIVS, Eloquentiæ Professor Ordinarius, Fautor, Collega & Affinis honorandus, tàm Generosi VIRI vitam, parentationis in modum, publicè sit expositurus, & quæ ad laudem, omnibus ex causis grauissimo DN. CANCELLARIO debitam pertinebunt, luculentâ & doctâ oratione, quod spondeo, persecuturus sit: nostrarum partium erit, ob tot tantaque in Remp. merita, & innumera in Vniuersitatem beneficia, huic publicæ pietatis, solennisque recitationis actui frequentissimè interesse. Ad hoc igitur officium piis & sanctis, Summi Viri (cuius pietas in DEVM, fides in Rempublicam, charitas & candor in proximos, vitæ integritas, aliæque virtutes animique dotes nunquam intermorientur) manibus pio affectu præstandum, cum dies quartus Nouembr. dictus sit, vt Omnes omnium Ordinum, cuiuscunque dignitatis & conditionis sint, inprimis autem Academiæ Ciues ad suam erga piè Defunctum DN. CANCELLARIVM affectionem contestandam & obseruantiam declarandam, frequenter conuolent, eâ, quâ par est animi reuerentiâ, studioque rogo & contendo. P. P. Argentorati 2. Nouembr. A. O. R. cIↃ IↃc LXIII.

005643742

